# Universitätsbibliothek Paderborn

## Hydra Prophanarum Novitatum, Sive Descriptio Historico-Theologica causarum principalium omnium irrepentium Hæreseon ac Schismatum: unàque Generalis earundem prophanarum Novitatum confutatio

**Alexander <a Sancta Theresia>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1684**

Proludium IV. De prophanæ Novitatis, sive Hæreseos gradibus deque Novatoribus apertis, & occultis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35361**

Visual Library

a 1. *Theſſal.* 4. *Conſolamini invicem*, ô afflicti, oppreſſ-que fideles! *in verbis iſtis* (a) ſcientes, quo benigniſſimus Salvator non vos ſinet ult quod poteſtis, tentari, ac tribulari, ſ *faciet* etiam uberem *cum tentatione*, ac pe-

b 1. *Corint.* 10. ſecutione *proventum*, (b) & *vincenti*

c *Apoc.* 2. *dabit* æternæ *vitæ coronam*, (c) perſecut ribus veſtris æternis indictis tormentis niſi tempeſtivè fidei veſtræ aggregentur co feſſioni.

# PROLUDIUM IV.

## *De prophanæ Novitatis, ſive Hæreſeos gradibus: deque Novatoribus apertis, & occultis.*

PEſtilentiſſimum hæreretica Novitas eſt malum, perquàm latenter ſerpens, acutè penetrans, ſeſeque quaquaverſum, callidè diffundens: varii quoque, Protei inſtar, ac verſipelles ſunt Novatores in omnem formam, ad ſimplices circumveniendos, ſeſe tranſ-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tranſmutantes : quapropter diverſitas facierum ipſorum, ut dignoſci queant, ac evitari, accuratius Catholicæ plebi eſt depingenda. Quod ſpectat ad hæreſeos gradus, eos accipio diſtinctos à noſtro Scholarcha Joanne de Bachone, dicto, Doctor Reſolutus (a) *Cùm quis reſiſtit*, inquit, *veritati intelligentiæ ſacræ Scripturæ, eſt in primo gradu hæreſis. Quia Hieronymus 24. q. 3. cap. Hæreſis, dicit: Quicumque aliter Sacram Scripturam intelligit, quam ſenſus Spiritus Sancti flagitat, id eſt inſpirat, à quo Scriptura eſt, licet ab Eccleſia non receſſit, tamen Hæreticus appellari poteſt.* Unde ſecundùm S. Hieronymum, & noſtrum Sapientiſſimum Magiſtrum, Hæretici poſſunt appellari, qui reſiſtunt definitionibus ſummi Pontificis Succeſſoris S. Petri, ac Vicarii Chriſti, circa intelligentiam myſteriorum fidei, ac ſenſus Sacræ Scripturæ: nam Summus Pontifex eſt in his infallibile Organum Spiritus Sancti; adeoq; qui illius reſiſtit definitionibus, *reſiſtit veritati intelligentiæ Sacræ Scripturæ*, ſeu *aliter ſacram Scripturam intelligit, quàm Spiritus Sanctus inſpirat* Organo ſuo, quod eſt Summus Pontifex: Hæretici ergò poſſunt appellari, etiamſi ab Eccleſia palam non receſſerint. Hujuſmodi autem clancularios Seductores, qui, ad ſimplicium deceptionem, ſe intra ovile Chriſti forinſecus continent, & S. Auguſtinus obſervavit. *Nec*, inquit, *con-*

a *In 4. Sent. q. 8. art. 4. Prologi.*

*quens eſt, ut omnis Hæreticus, vel ſchiſmatic*
*corporaliter ab Eccleſia ſeparetur. Si enim fal*
*de Deo credit, vel de aliqua parte doctrinæ, q*
*ad fidei pertinet ædificationem, ita ut non quæren*
*tis cunctatione tentatus ſit, ſed inconcuſſè credên*
*nec omninò ſcientis opinione atque errore diſc*
*dans, Hæreticus eſt, & foris eſt animo, quam*
*corporaliter intus videatur. Multos enim to*
*portat Eccleſia, quia non ita defendunt falſi*
*tem ſententiæ ſuæ, ut intentam multitudin*
*faciant: quod ſi fecerint, tunc pellantur.* Cu
igitur Novatores falſitates ſententiæ ſuæ l
tenter Catholis inſtillant (ut hodie in par
bus hæreticis vicinis prô! nimis fit frequ
ter) tum publicâ authoritate ſunt expellen
omnique ſtudio à Catholicis fugiendi. De h
ce falſis Catholicis dilectus Domini Diſcip
lus locutus eſt: *Nunc ait Antichriſti multi ſ*
a 1. Ioan. 2. *cti ſunt... Ex nobis prodierunt, ſed non era*
*ex nobis. Nam, ſi fuiſſent ex nobis, perman*
*ſiſſent utique nobiſcum: Sed ut manifeſti ſi*
*quoniam non ſunt omnes ex nobis.* Porrò
b Tract. 3. in Epiſt. Ioan. Auguſtinus luculenter exponit, (*b*) quomo
do quidam ſint in nobis, non tamen ex nob
in Eccleſia, non tamen de Eccleſia. *Sic* inqu
*ſunt in corpore Chriſti, quomodo humores ma*
*quando evomuntur, tunc relevatur corpus, & ma*
*li quando exeunt, tunc Eccleſia relevatur. Et dic*
*quando eos evomit atque projicit corpus: Ex m*
*exierunt humores iſti, ſed non erant ex me. Qu*
*eſt, nõ erant ex me? Nõ de carne mea præciſi ſun*
*ſe*

*ſed pectus mihi premebant cùm ineſſent, ex nobis exierunt, ſed nolite triſtes eſſe, non erant ex nobis. Unde probas? quod ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum. Hinc ergò videat charitas veſtra, quia multi qui non ſunt ex nobis, accipiunt nobiſcum Sacramenta, accipiunt vobiſcum Baptiſmum, accipiunt nobiſcum quod norunt fideles ſe accipere benedictionem, Euchariſtiam, & quicquid in Sacramentis Sanctis eſt. Ipſius altaris communicationem accipiunt nobiſcum, & non ſunt ex nobis: tentatio probat, quia non ſunt ex nobis. Quando illis tentatio venerit, velut occaſione venti volant foras, quia grana non erant.* Hæc S. Auguſtinus. Sunt igitur in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia Catholica, falſi, fucatiq; Chriſtiani velut graves, noxiiq; humores, aut ut putrida ac putida membra, quæ ventô hæreticæ tentationis quaſſata aut ex ſe à corpore decidunt, aut à Chriſti in terris Vicario, ut Eccleſiæ viſibili Capite gladiô ſpiritus exciduntur, ne ſanos in fide, ſuâ inficiant interficiantq; contagione. *Gratulandum eſt*, inquit inclytus Martyr, ac Præſul Cyprianus, (a) *cùm tales de Eccleſia ſeparantur; ne columbas, ne oves Chriſti ſævâ & venenatâ contagione prædentur. Cohærere & conjungi non poteſt amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum ſerenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate ſterilitas, cum fontibus ſiccitas, cum tranquillitate tempeſtas. Nemo exiſtimet bonos de Eccleſia poſſe diſcedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem ſolida*

a *Lib. de unit. Eccle.*

*ſolidâ radice fundatam procella ſubvertit. Inanes paleæ tempeſtate jactantur, invalidæ arbores turbinis incurſione evertuntur. Hos execratur & percutit Joannes Apoſtolus dicens: ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis: ſi enim fuiſſent ex nobis manſiſſent utique nobiſcum. Hinc hæreſes & factæ ſunt frequenter, & fiunt, dum perverſa mens non habet pacem, dum perfidia diſcordans non tenet unitatem.* Hæc Divus Cyprianus: qui verbis poſtremis patenter indicat, reperiri ſubinde quoſdam ſubdolos ac turbulentos homines, qui ſuis novitatibus pacem ac unitatem ſcindentes, hæreſes ſæpenumerò inducunt, licet corporaliter ab Eccleſia non receſſerint, à qua tamen tandem planè deficiunt ac recedunt, dum reprehenſi duram cervicem obedientiæ Eccleſiaſticæ renuunt ſubjicere. Hæc de primo gradu hæreſis, ad menrem noſtri Doctoris Reſoluti, quocum procedo ad cæteros.

*Secundus gradus eſt, cùm quis gignit falſas opiniones. Unde Auguſtinus 24.q.3.c. Hæreticus, dicit: Hæreticus eſt, qui alicujus temporalis commodi, & maximè gloriæ ſui gratia, falſas ac novas opiniones, vel gignit, vel ſequitur. Extremus gradus hæreſis eſt, cùm quis opinionem ſuam falſam, & perverſam pertinaci animoſitate defendit.* Primus igitur hæreſis gradus eſt, S. Script contra Eccleſiæ ſenſum interpretari. Secundus, opiniones S. Scripturæ, ac fidei Orthodoxæ contrarias gignere, aut genitas ſequi, utrobiq; cum pertinacia, nã ea eſt de formali hæreſeos ratione uti *Prolu.* 2. docuimus. Tertius, conceptã hære-

ſin

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ſim adverſus Eccleſiæ ſuperiorum, maximè-que ſummi Pontificis, Vicarii Chriſti, defi-nitiones ac inſtructiones protervâ rebellione defenſare, nec ſanis conſiliis velle ſtare, nec Ca-tholicis demonſtrationibus acquieſcere.

Colligitur porrò ex dictis ea hæreticorum differentia, quâ quidam ſunt manifeſti ac a-perti, quidam tecti ac occulti: quidam in-quam, apparent quod ſunt, impoſtores, ſacri-legi, blaſphemi, ſummi Romani Pontificis, Vicarii Chriſti, tamquam Anti-Chriſti, furi-bundi perſecutores, Religioſorum tyranni, totiuſque Eccleſiæ hoſtes perduelles, noti ac manifeſti, apertò marte eam adorientes: ho-rum perfidia, velut notum malum, minus Catholicæ plebi exiſtit periculoſa ac pernicio-ſa, ſolâque evaditur fugâ, minus quippe pe-riculi eſt ab hoſte manifeſto, quam ab inſidia-tore occulto. Alii verò non ſunt, qui appa-rent ſancti, & ſunt impii, apparent humiles, & ſunt ſuperbi, ambitioſi, pertinaces, ac re-belles, apparent oves, & ſunt lupi perſonati, apparent zeloſi honoris ac laudis Dei propu-gnatores, & ſunt in Deum ac Divos blaſphe-mi, vocari volunt reformati, cùm ſint defor-matiſſimi, apparent Catholici, ſpirituales ac myſtici, ſunt autem carnales hæretici: Hi propinant ſimplicibus venenum mellitum, eiſque oſculô morſum infigunt, horum lues eò ſerpit periculoſior, quò occultior. Hoc cal-lidum ac palliatum ſeductorum genus tum S.

Scriptura, tum SS. Patres vehementer ave
ſantur, ac deteſtantur, eorumque multipli
fraudulentias, dolos, technas, laqueos, g
phicè, ad ſimpliciũ Catholicorum cautela
deſcripſerunt: aliquot audiamus, ut enim
*a Epiſt. ad Teſiphon.* pienter ſcripſit S. Hieron. (*a*) *Eorum ſententi*
inſidias, *detexiſſe, ſuperaſſe eſt.* A S. Scri
*b Ezech. cap. 13.* tura, (*b*) ſub vulpium metaphora Novatoru
calliditates ac ſimulationes perſequente, exo
dior. *Væ Prophetis inſipientibus*, exclam
Propheta Ezechiel, *qui ſequuntur ſpiritũ ſuu*
*& nihil vident, quaſi vulpes in deſertis Proph*
*tui Iſrael erãt. Propterea hæc dicit Domin⁹ De*
*quia locuti eſtis vana & vidiſtis mendacium:*
*ecce ego ad vos, dicit Dominus Deus: & erit m*
*nus mea ſuper Prophetas, qui vident vana,*
*divinant mendacium: in concilio populi mei n*
*erunt, & in ſcriptura domus Iſrael non ſcribe*
*tur, nec in terram Iſrael ingredientur: & ſci*
*quia ego Dominus Deus, eò quod deceperint p*
*pulum meum, dicentes: pax, & non eſt pax.* D
hujuſmodi olidis vulpibus, mendacibuſq
Prophetis, veriſſimè, inſpiratus ſpiritu veri
tis, pronuntiavit mortalium ſapientiſſimu
*c Prov. 26.* (*c*) *Labiis ſuis intelligitur inimicus, cùm in cor*
*tractaverit dolos: quando ſubmiſerit vocem ſua*
*ne credideris ei: quoniam ſeptem nequitiæ ſunt*
*corde illius.* Perſpicuum namque id eſt in N
vatoribus prophanis, inimicis veritatis; cù
namque adverſus fidem & Eccleſiam med

cant

tantur bellum, monent, aut etiam jubent, Catholicos eſſe velut in altâ pace tranquillos, ac imperturbatos, quandoquidem, ut quidem jactitare ſolent, novus, abditæ hactenus veritatis ſplendor ipſis affulgeat. O blanduli tractatio doli! omnia perturbant, & quietem conſulunt, bellum inferunt, & armorum apparatum, defenſionemque diſſuadent: Lupi inſidiantur ovili Chriſti, & ovibus ſomnum ſuadent, canes monent obmuteſcere, ac paſtores porrectis dormitare pedibus: vulpes demoliuntur vineam Eccleſiæ, & retia, quibus capiantur ad trabes volunt ſuſpendi, *dicentes: pax, & non eſt pax.* Sic ſibilat ſerpens, verùm, (a) *ne credideris ei: quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde illius*: ſuadet ſecuritatem, ut ſecurius ſubvertat fidem: ſed Chriſtum attende monentem: (b) *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* nec non Habacuc Prophetam: (c) *Super cuſtodiam meam ſtabo: & figam gradum ſuper munitionem* Eccleſiæ: *ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum*, (d) ne circumagar quovis prophanæ novitatis ventô.

a Prov. 26.
b Matt. 7.
c Hab. 2.
d Epheſ. 2.

S. quoque Auguſtini ſententiâ, (e) prophani ac clancularii Novatores per callidas denotãtur vulpes: *Vulpes*, inquit, *inſidioſos, maximeque hæreticos fraudulentos ſignificant, doloſos, cavernoſis anfractibus latentes, & decipientes, odore & tetrò putentes. Contra quem odorem dicit Apoſtolus:*

e Tom. 8. in pſ. 80.

*ſtolus: Chriſti bonus odor ſumus in omni loco. Iſt*
*vulpes ſignificantur in Canticis Canticorum*, u
*dicitur; capite nobis vulpes puſillas exterminant*
*vineas, latentes in cavernis tortuoſis: capite n*
*bis, convincite nobis: capis enim eum quem*
*falſitate convincis.* Hæc Auguſtinus. Quer-
a Epheſ. c. 13. tur denuò de his vulpibus Ezechiel: (*a*) *Qua*
*vulpes*, inquit, *in deſerto Prophetæ tui Iſrael*
*rant. Vident vana, & divinant mendacium*,
*dicentes, ait Dominus, cùm Dominus non mi-*
*ſerit eos.* Hiſce falſis Prophetis, propria men-
dacia, ut divina oracula, venditantibus, eiſqu
olidis callidiſque vulpibus ſimiles ſunt, ut o-
vum ovo, inſidioſi Novatores proprii ſui ce-
rebri figmenta pro Evangelio ſimplicibus ob-
trudentes, florentemque Eccleſiæ vineam,
vulpium inſtar, devaſtantes: *nam vinea noſtr*
b Cant. 2. *floruit.* (*b*) Floruit, inquam, Catholicæ Eccle-
ſiæ vinea in Germania, in Anglia, in Batavia,
a caliis Chriſtianiſmi partibus, Chriſti bonu
odor fuit omni intranti eam; ſed eheu! floruit,
fuit: ecquæ verò lugendiſſimæ ſtragis cauſa?
prophani callidiq; Novatores, hi, hi, velut o-
lidæ vulpes, erumpentes pietatis gemmas te-
trô ſuô odore primùm ſuffocarunt, ſuaveolen-
tes devotionis flores confeſſionis ſacramenta-
lis, communionis SS. Euchariſtiæ, ſacrarum
Confraternitatum, alioſque devulſerunt dein-
ceps: nec demum palmites in vite paſſæ, vi-
neam radicitus, poſt tragicas arroſiones, ex-
tirparunt. Quadrat in vulpes iſtas perſonatas,
quod apud Plutarchum dixit Carbo, volens e-
nim

nim Syllam depingere crudelem, ut fallacem, aſſeruit eum leonem eſſe & vulpem: ſed & Lyſander ajebat, *Addendã eſſe vulpinã pellẽ, ſi leonina non ſufficeret*: Hoc eſt, utendum eſſe calliditate & fraude, cùm vires deeſſent, aut ſaltem non ſufficerent. Hanc namque artem egregiè callent noſtræ ætatis Leo-vulpes, cùm enim vi ac authoritate nequeunt ſeducere Catholicam plebem, calliditate eos circumveniunt, furtim in urbes, ac provincias irrepentes, graſſaturæ, ubi prævaluerint, ut leones: unde Divus Cyprianus: *Illud mirandum eſt, imo indignandum potius, & dolendum, Chriſtianos Anti-Chriſtis aſſiſtere, & prævaricatores fidei atque proditores Eccleſiæ intus in ipſa Eccleſia contra Eccleſiam ſtare.* Horum in Eccleſia latentium ſeductorum verſutias, magis eſſe metuendas, quàm manifeſtos graſſatorum aggreſſus, jam ante aſſerui, & hic amplius ex SS. Patribus demonſtro, permagni enim intereſt, Novatorum clarè detegi ſimplicibus fraudulentias. *Sicut autem* (S. loquitur Auguſtinus) (b) *Patribus noſtris adverſus leonem* (id eſt, Diabolum, apertè per infideles contra Chriſtianos ſævientem) *opus erat patientia, ſic nobis adverſus draconem* (hoc eſt, Diabolum, Catholicis ſub nomine Chriſti occultè inſidiantem). *Vigilantia. Perſecutio tamen, ſive à leone, ſive à dracone, numquam ceſſat Eccleſia, & magis metuendus eſt cùm fallit, quàm dum ſævit. Illo tempore cogebat Chriſtianos*

a *Lib. 1. epiſt. 6.*

b *Tom. 8. in pſal 39.*

*nos negare Chriſtum. Iſto autem tempore, doc*
*Chriſtianos negare Chriſtum. Tunc cogeba*
*nunc docet. Tunc ergo ingerebat violentias, nun*
*inſidias. Videbatur tunc fremens, lubricus nun*
*& oberrans difficile videtur.* Hæc S. Auguſti
nus: qui & alio loco præclarè hæreticoru
truculentas deſcribit fraudulentias ſub lupo
rum ſimilitudine: (*a*) *Induunt*, inquit, *lup*
*ſuos veſtibus ovium, & dicunt, ecce hic eſt Chri*
*ſtus, ecce illic, & ab univerſitate civitatis ſup*
*montem conſtituta, ad particulas inſidiaru*
*ſuarum multos ſeparant, & jugulatos aſſumun*

a *Contra Donatiſt. lib. 1. c. 4.*

Producam modò S. Cyprianum, (*b*) ad
verſus prophanorum Novatorum latentes in
ſidias inſtruentem fideles. ,, Cùm moneat Do
,, minus, & dicat: Vos eſtis ſal terræ: cumq
,, eſſe nos jubeat ad innocentiam ſimplices, &
,, tamen cum ſimplicitate prudentes, quid a
,, liud, fratres dilectiſſimi, quàm providere no
,, convenit, & ſollicitô corde vigilantes ſub
,, doli hoſtis inſidias intelligere pariter & cav
,, re, ne qui Chriſtum ſapientiam Dei patri
,, induimur, minus ſapere in tuenda ſalute v
,, deamur. Neque enim perſecutio ſola me
,, tuenda eſt, & ea quæ ſubruendis ac dejicien
,, dis Dei ſervis aperta impugnatione graſſa
,, tur: facilior cautio eſt, ubi manifeſta formi
,, do eſt: & ad certamen animus ante præſtruitu
,, quando ſe adverſarius confitetur. Plus me
,, tuendus eſt & cavendus inimicus cùm la
,, tenter obrepit, cum per pacis imaginem fal

b *Tract. de ſimplicitate Prælat. init. Matth. 5.*

lens occultis acceſſibus ſerpit : unde & no- ,,
men ſerpentis accepit. Ea eſt ejus ſemper ,,
aſtutia, ea eſt circumveniendi hominis cæca ,,
& latebroſa fallacia ,, *Hæc inclytus martyr Cy-
prianus, qui, directius ac proximius ad meum in-
ſtitutum, ſubdit paulò infra:* Cavenda ſunt au- ,,
tem non ſolùm quæ ſunt apertè manifeſta, ſed ,,
& aſtutæ fraudis ſubtilitate fallentia. Quid ,,
verò aſtutius, quidve ſubtilius, quàm ut ,,
Chriſti adventu detectus, ac proſtratus ini- ,,
micus (poſtquam lux gentibus venit, & ſo- ,,
ſpitandis hominibus ſalutare lumen effulſit, ,,
ut ſurdi auditũ ſpiritualis gratiæ admitterent ,,
aperirent ad Deũ oculos ſuos cæci, infirmi æ- ,,
ternâ ſanitate revaleſcerent, claudi ad Eccle- ,,
ſiam currerent, muti claris vocibus & pre- ,,
cibus orarent) videns idola derelicta, & per ,,
nimium credentium populum ſedes ſuas & ,,
templa deſerta, excogitaverit novam frau- ,,
dem, ut ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo ,,
fallat incautos? Hæreſes invenit & ſchiſma- ,,
ta, quibus ſubverteret fidem, veritatem cor- ,,
rumperet, ſcinderet unitatem. Quos deti- ,,
nere non poteſt in viæ veteris cæcitate, cir- ,,
cumſcribit & decipit novi itineris errore. ,,

Sunt igitur duplices Eccleſiæ hoſtes, manife-
ſti, & occulti, & iſti ſunt illis peiores ac no-
centiores, adeoque juxta unanimem ac con-
ſtantem SS. Patrum ſententiam, magis perti-
meſcendi: quod ipſum præclarè noſter decla-
rat Waldenſis: (a) *Idcircò*, inquit, *remittit nos* a Tom. 3.

*ma-*

Iud. 1. *mater Eccleſia ad filium ſuum Iudam , q*
*ut ſcribitur Iudic. primo , montana poſſed*
*nec tamen potuit delere habitatores vall*
*quia falcatis curribus abundabant. Manif*
*peccatores in monte habitant , velut ſunt ſ*
*perbi , avari , laſcivi , contentioſi , & conſim*
*les : non poteſt celari , quin peccant : non pot*
a Matt. 5. *abſcondi civitas ſupra montem poſita.* (*a*) *Sed*
*lii peiores illis in vallibus habitant , qui p*
*catum hæreſis , falſæ ſuæ humilitatis , & ſ*
*mulatæ ſanctitatis fucô depingunt , & recu*
*væ ſcripturæ , & acutæ rationis allegatione d*
*fendunt. Qui & eò tardius vincuntur , a*
*numquam , quia ſimulandi , & ſe defenden*
*conſuetudine animoſos , & ipſa animoſitate pr*
*tervos , & poſt proterviam inflexiles , imò ine*
*pugnabiles ſtatuunt.* Hæc, pro nunc , de in
ſidioſis , occultis , ac fraudulentis prophan
Novatoribus ſufficiat inſinuaſſe , de quibus
decurſu frequens recurret ſermo: ſolum adjic
brevem adverſus eorum inſidias S. Cyprian
b Ep. 40. (*b*) cautelam. *Hinc fratres dilectiſſimi , hinc ad*
*moneo pariter & conſulo , ne periculoſis vocibus t*
*merè credatis , ne fallacibus verbis conſenſum f*
*cile commodetis , ne pro luce tenebras , pro die n*
*ctem , pro cibo famem , pro potu ſitim , venenu*
*pro remedio , mortem pro ſalute ſumatis. Ne*
*tas vos eorum , nec authoritas fallat ; qui ad du*
c Dan. 3. *rum presbyterorum* (*c*) *veterem nequitiam r*
*ſpondentes , ſicut illi Suſannam pudicam co*
*rumpere , & violare conati ſunt , ſic & hi adult*
*riu*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*viniis doctrinis Eccleſiæ pudicitiam corrumpere, & veritatem Evangelicam violare conantur. Clamat & dicit Dominus (a) Nolite audire ſermones Pſeudo-Prophetarum, quoniam viſiones cordis eorum fruſtrantur eos. Loquuntur, ſed non de ore Domini.* Hanc denique plebs Catholica infallibilem habet Pſeudo-Prophetarum notam, ac characterem, ſi nova diſſeminent dogmata, à creditis, ac ſervatis hactenus in Eccleſia, aliena: nam, ut ſtrenuus ille Antinovator, Vincentius Lirinenſis, docet veraciter: *Cunctis ſatis evidenter, perſpicuoque monſtratur, hoc apud omnes fere hæreſes quaſi ſolenne eſſe, ac legitimum, ut ſemper prophanis nominibus gaudeant, antiquitatis ſcita faſtidiant, & per oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, à fide naufragent: contra verò Catholicorum hoc ferè proprium, depoſita ſanctorum Patrum & commiſſa ſervare, damnare prophanas novitates.* Plurimas, & particulares prophanorum Novatorum notas dabimus, favente Deo, in decurſu hujus Opuſculi.

a Hier. 23.

b Lib. contra prophan. Novit. c. 10.

## PROLVDIVM V.

### *Quænam delicta præbeant prophanæ novitatis, ſive hæreſeos ſuſpicionem.*

QUamvis prava facta non faciant univerſaliter hæreticum, uti *Proludio I.* diximus: in-